87



FACULTÉ DE MÉDECINE DE PARIS

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Martis trigesimâ mensis Martii, anno Domini M. DCC. XLV.

M. EMMANUELE-MAURITIO DU VERNEY, Doctore Medico, Præside.

An Panis jurulentus ad spissitudinem glutinosam percoctus, insalubris?

I.



CUM peraguntur liberè corporis functiones, tunc sanum esse judicatur. Dulcissimum bonum sanitas. Ejus pretium carendo meliùs quàm fruendo sentitur, jactura doloribus solet variis aggravari: infelicem prorsùs eum dicas qui amisit, nisi Religione fultus animi vigorem è corporis debilitate eruat. Prudentiæ est sanitatem, quantùm licèt, tueri. At fortasse tenuior videbitur nostra quæstio, nec satis digna quæ Medici attentionem postulet. Parva, inquient, negligere satiùs; nec eum decet ad minuta descendere, cujus ars tam latè patens circa grandia potiùs, & magis necessaria debet occupari. Hæc non facilè objiciat qui Medicinæ naturam perspexerit: nec parvum dicat quidquid lædere sanitatem potest. Non vilescit Medicus si de minimis rectè & appositè dixerit. Crea-

tor ipſe cum ſiderum motus, æſtus marium, univerſi orbis corpora regat & moderetur: tamen ſine Summæ Majeſtatis offenſione, etiam capillos capitis noſtri numerat. Dei miniſter, tantum exemplar, quà licet, æmulans, nullam obſervationem reſpuat quæ cum utilitate conjuncta ſit; nec alta ſolùm & nobilia inveſtiget, ea quoque diſquirat quæ vulgaria videntur. Idem ſcopus in utriſque, quid humano corpori bonum, quid contrarium, expendere. Quæſtionem ſeligimus non operoſam, intricatamve, ſed expeditam & facilitate allicientem ſuâ. Et ſi talia non magni referre videantur, ſaltem probant quædam poſſe in ſingulis notari; porrò ſcientia Medici in obſervatione poſita eſt. A parvis quandóque ad majora conſcenditur. Ex pluribus comparatis exurgere poteſt utilis cognitio. Si quis vel inania modò ingeniosè tractet, laudi tribui ſolet; cur vitio verteretur, quòd res ad incolumitatem pertinentes ſcrutemur accuratiùs? Fatemur præſens argumentum & ſimilia, licèt generalis uſûs, cauſariis præcipuè, aut è morbo refici incipientibus, ſanis verò minùs attendenda. Ut autem mala etiam gravia ſpernere viri fortis eſt: ita Medici ſapientis etiam levia cognoſcere, obſervare, præcavere, aliis, ut caveant, indicare. Præterea quæ levia per ſe & etiam ferè nulla ſunt, ſi ſæpius renoventur, ſi quotidiè recidant, ingraveſcunt & periculoſa evadunt. Quid autem frequentius uſu cibi de quo agitur. Medici officium eſt cautiones pro rei gravitate adhibere, ſi periculum urgeat, ſi inſignis noxa timenda ſit, ſedulò & ſine morâ, præoccupet. Si levis eſt metus, ſi non niſi ſucceſſu temporis immineat labis diſcrimen, prudenter advertat, & paulatim morbis obices ponat.

I I.

QUÆRES à quo pendeat functionum facilitas in quâ modo ſanitatem ſtatuimus, Nimirum ab æquabili & ordinato liquorum circuitu, hic autem niſi poſitâ ſanguinis craſi conveniente ſtare non poteſt. Quidquid ſanguinis indolem genuinam fovet & ipſius liquorumque ex eo manantium liberum tuetur per vaſa itum reditumque, ſanitati favere meritò credas. Contra, quod ſanguini noxam inferre, quod chyli confectionem retardare, & liberam diſtributionem impedire aptum eſt, plus minùs ſanitati nocet. His attendere prout rei natura poſtulat, Medici partes ſunt. Placuit veteribus quæcumque corpori humano nocere vel prodeſſe idonea ſunt, non-naturalia nuncupare. Inter cætera plurimùm poſſe alimentorum delectum nemo negaverit. Inde conficitur chylus ſanguini reparando allaborans: dum enim circuit ſanguis, & omnium univerſi corporis humorum materiam ſuppeditat, dum vaſis ipſius & canalibus qui motu aſſiduo deteruntur reſarciendis inſervit, quotidiano nutrimento opus eſt, quod digeſtionis ope in ſubſtantiam corporis faceſſat. Novo in dies chylo appellente, novus quoque ſanguis procreatur. Hujus gelatinoſa pars, lympha nutritia, per extremitates arteriarum ſive poroſas, ſive in vaſcula lymphatica abeuntes, lateribus vaſorum applicatur, & in vacuola interſtitiaque inſeritur, ſic renovantur perpetuò ſolidorum ſtamina. E ſanguine etiàm ſecerni multiplicis indolis liquida omnibus compertum eſt. Nempè per tubulorum ad incredibilem uſque exilitatem glomeratorum replicatorumque gyros & anfractus diversè premitur, citiùs tardiùſve impellitur & particulas diverſæ molis, figuræ variæ, pro incerniculorum quæ offendit, varietate, hìc, illic deponit. Cibi neceſſitatem famis ſenſus indicat. Hic in ſanis vividus eſt, & neceſſitati corporis accommodatur, in ægris inordinatus, quandóque ultra modum augetur, ſæpiùs verò retunditur. Ejus loco deliquia, virium defectum proſtrationemve non facilè reparabilem plerùm-

que ſignificant. Tunc vitiatis, ut contingere ſolet, humoribus, ac ſpeciatim liquore gaſtrico, alimentorum digeſtioni via præcluditur, quæ maximi momenti eſt.

I I I.

CIBUS nullus Pane uſitatior, nullus ſalubrior. Hunc appetere ſignum ſanitatis eſt; faſtidire morbi indicium. Cerealia, frumentum præſertim (ex eo conflatus Panis optimus) non ut animantium carnes redundant ſulphuribus. Non leguminum ad inſtar craſſiori ſubſtantiâ conſtant. Non olerum more aqueis turgent particulis: Friabilia ſunt, levia, ſolvi, ac dividi habilia, facilè in pollinem reducuntur. Hinc citiùs cremorem educas. Panis ſit mollis, nec humidus, nec ſiccus, ex farinâ purâ, novâ & benè ſubactâ: hic in chylum converti aptiſſimus. Ad conficiendum Panem multas ſubit farina præparationes. Harum ope ad convenientem in ventriculo coctionem recipiendam diſponitur. Primò molâ piſtrinove tundi, teri, dividi farina debet; debet Panis ventriculi motu, non immenſo illo & incredibili quem ipſi affingere placuit, ſed mediocri & placido, verſari, agitari, attenuari. Aquâ poſtmodùm affusâ farina diluitur; Panem ſucco ſalivali & gaſtrico imbui neceſſe eſt. Hunc ſuccum ſi putes fermenti lenis, nec â ſtatu ſano abhorrentis vicem gerere (abſit verbo invidia) nonne paſtam priùs opportuit verò fermentari quàm clibano committatur. Demum moderato clibani calore coquitur, perficitur; ventriculi calorem digeſtioni non inutilem admodùm veriſimile. Ex dictis colligitur Panem inter eupepta alimenta recenſendum,

I V.

APUD varias gentes præcipuè autem apud nos, in uſu poſitum eſt Panem vel ex aquâ, ſive cum carnibus, ſive cum oleribus, adjuncto butyro, &c. vel ex lacte coquere. Scilicet ut calore reſolutus digeſtioni aptior evadat. Illud edulii genus non ad delicias tantum modò comparatum; ad ſanitatem etiam conferre, maximè in debilibus, fatemur. Nec ignis operam recuſare in animo eſt: ſed time ne ex amico hoſtis fiat. Ejus officio utere; neceſſarium eſt. Cave autem ne vehementiùs agat. Cave ne protrahatur longiùs perículoſi officii uſura. Quod moderatum profuiſſet, quod blandè initio affecit, cane pejùs & angue, intenſiori aut diuturniori nocebit actione. Curandum ut Panis integrantes partes convellantur paulùlùm, leviter ab invicem dimoveantur; ita ut laxiùs junctæ remaneant: id obtinebis ſi Panis ſuperficiem, trans patinæ poros, calor igneus paulatim & per gradus penetret, & intra ipſius compagem ſe ſe, ut par eſt, inſinuet. Itaque coquentis manus offarum latera alternatim igni opportunè objiciat. Nunc ſubjacentia ſupravertat; mox ſuperiora versùs patinæ infima declinet. Panis ſubſtantiam plus æquo diſſolvi non ſinat; ne in pulticulam ſpiſſiorem aut potiùs in gluten viſcumque degeneret. Ignem puta armamentarium quoddam mille jaculis teliſve fœtum. Si nimiâ coctione liberior detur aditus, quâ datâ portâ ruent & incendia parabunt. Mitto ſtrages à ſalibus carnium evolutis, à butyri evecto ſulphure procreandas. Panis ſolius habeatur ratio. Si partes aquoſæ avolent, ſi affatim irruperint igneæ, paſtæ ſpeciem præ denſitate tantùm non exhibebit. Hæc in ſanguinem pro mollibus tenuibuſque particulis ſuccos deferet indigeſtos; pro balſamicis & gelatinoſis acria quædam & velut pungentia ſpicula concitandis ſulphuribus & ſalibus idonea. Ventriculi motus non bene verſat moleculas frangi renitentes ac firmiùs cohærentes. Difficilè coquet

partes rigidas, liquore orbatas. Fibræ ab aduſtis, ab igneis, ſi quæ ſuperſint, partibus irritabuntur. Cùm enim pro ſummâ tenuitate & pernicitate Panis intima pervadant; non facilè egredi, verùm aliquas forſan in angulis meatibuſque reſiduas deliteſcere non immeritò ſuſpicaberis. At etiamſi vix ullas omninò poſt certum temporis ſpatium remanere contendas, certè inhærere ardoris reliquias fatearis neceſſe eſt. Quem inde chylum expectes? Nempè lenteſcentem, ad phlogoſim propenſum, & inteſtinis infarctus, moleſtias, tumultus illaturum. Mirari deſine, ſi conſequantur nauſeæ, cardialgiæ, ructus, borborygmi, ventris tormina, flatus, paroxyſmi febriles, multiplex animalis œconomiæ depravatio. Nec fallaci coquorum arti credideris. Hæc ſæpe irritamenta gulæ proponens, celat ſub arridentibus palato ferculis latentes inſidias. Nam ſæpe ubi conſumpto jure Panem torrefecerunt, novum jus affundendo gluten diluere ſolent. Sic incipientem coctionem mentiuntur, nimia vitia noxaſque diſſimulantes. Sic exſiccata recoquendo ſomites fomitibus adjiciunt. Quin etiam rufa juſcula & aureum colorem referentia menſis offerre amant; nec ſolùm ex carnibus talia eliciunt quæ fornaces liquidas meritò nuncupâris, ea quoque è cruſtis aduſtis ſive penitùs exſiccatis exprimunt. Harum loculi, nota ignis receptacula, ſubtiliſſimis ſcintillulis recipiendis, aſſervandiſque apprimè pares.

V.

FRUSTRA objicies Panem bis coctum & induratum à navigantibus quibuſcumque uſurpari. Hunc morem ex neceſſitate & cibi melioris inopiâ inventum in exemplum trahi non poſſe manifeſtum eſt. A pari carnes fumo induratas & ſale conditas ut diutiùs ſerventur nemo ſalubriores affirmârit. Quod ad uſum ſpectat, qui circa plurimos ægrotantes obtinet; Panem ſenſim ſine ſenſu, jure identidem affuſo, imbuere, dividere, coquere licet; modò ignis lentior mitiorque ſit, abſit ut vituperemus coctionem moderatam in quâ temporis diuturnitas caloris mediocritate compenſatur. Repones hanc vigere apud innumeros conſuetudinem, eos maximè quibus novam quotidiè pulticulam coquere per facultates non licet, ut heſternam aut à pluribus etiam diebus aſſervatam iterùm atque iterùm foco ſuperponant. Quid inde eruas? Si prima coctio ſufficiens, ſi perfecta fuerit, ferculum ſequentibus vicibus ultra modum coquetur, ſic minùs ſalubre pro certò evadet. Adde non ſolum Panem, ſed quæ cum eo concocta ſunt fermentari, degenerare, aceſſere, vitiari.

Ergò Panis juruletus ad ſpiſſitudinem glutinoſam percoctus, inſalubris.

Proponebat Pariſiis, NATALIS-ANDREAS-JOANNES-BAPTISTA CHESNEAU, Cenomanus, Doctor Medicus Remenſis, Saluberrimæ Facultatis Pariſienſis Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1745, à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1745